



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Paphnutius M. 28. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

vir, quàm cùm sic femina fuit. Dum enim hic ad supplicium ducitur, adest illa, & litem ecce de morte movet. Vadem ait se pudoris, non mortis legisse; hanc vel fugâ meruisse; esse certè in virgine ferro locum, si injuriæ non fuerit; sed nec animos deesse, quos cum armis sumpisset; demum si THEODORA addicta sit morti, THEODORAM se esse; si DIDYMVS, etiam hunc induisse. Contrà querebatur ille, ingratoram benefactori præmium invidere; arma se exuisse non militem, stolum induisse, non feminam; turpe fore viro tergum vertere, si sic mulier pugnaret; illi plus lactis, sibi plus sanguinis naturam dedisse; se denique (sive DIDYMVS jam esset, sive THEODORA) se ad mortem damnatum clamabat. Quid multis? duo pugnarunt, & cernentibus causam lictoribus, ambo vicerunt. Ex D. Ambr. l. 2. de Virg.

Virginitas fastigium est omniumque consummatio virtutum: ad quam si quis eniti potuerit, hunc servum Dominus, hunc discipulum Magister agnoscet, hic terram triumphabit, hic erit consimilis Deo, quia virtutem Dei cepit. Lactant. l. 6. de vero cult.

S. PAPHNUTIUS M. 28. Aprilis.

PAPHNUTIUS Eremita, detectis à tutelari genio gentilium insidiis, facto divino sacrificio, ultro in jus atque judicis conspectum ambulavit. Quem sanguinarius canis tam fœdâ verberum laniênâ conersit, ut patefactis lateribus exta in terram effunderentur, quæ sacer custos suis denuò receptaculis abdidit, vulnerumque hiatus obsepsit. Cùm in vinculis mirâ luce micaret, XL. fenatores veritatis claritate præstricti, unum ac verum Numen sunt professi, eamque ob causam
flam-

flammis absumpti. Non multò post sedecim pueros senatorum filios ad tribunal adduxit, hæsitque alienato à sensibus in Deum animo: pueri in proposito constantes extincti. Piscatores octo supra quadraginta sic amore Christianorum sacrorum accendit, ut unà ad supplicium contenderint, jugulumque ferro subjecerint. PAPHNVTVS quadrifariam distractus, membraque in templi tectum jactata hominibus ludibrium, pabulumque fœdis avibus futura. At disjectas corporis partes Angelus conflavit, Christusque vitalem spiritum restituit. Cujus prodigii magnitudine multi ad Ecclesiam adjuncti, fidem sanguine consignarunt. Ad extremum, molâ ad collum deligatâ, in undas præcipitatur PAPHNVTVS. Sed pondere lapidis divinâ manu sustentato, cum mergi volens non posset, in crucem actus eximiorum certaminum in eâ arbore, quæ fortes omnes coronat, palmam tulit. *Ex Metaphr.*

Si sapias, in viâ, quâ nunquam ambulasti, non ipse tibi doctor aut ductor eris, sed aurem Magistris inclinabis & increpationibus eorum acquiesces & consiliis; & operam scientiæ & lectioni dabis, ne serò poenitens dicas, cur detestatus sum disciplinâ? Guerr. s. de Advent.

S. PETRUS M. 29. April.

PETRVS Veronæ parentibus hæreticis ortus, septimo ætatis anno duodena credendi capita in scholis perdidicerat, itaque fixa animo retinebat, ut nullis unquam imperiis ad eorum veritatem improbandam compelli posset. Institutionem deinceps D. Dominici per vitam sectatus, speciosum Prædicatoris nomen rebus æquavit: quippe tanto populi studio frequentiaque concionabatur, ut

ægrè